



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI  
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne  
Petro Maffeio, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex  
auctoritate superiorum.||**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Köln, 1585**

**VD16 M 110**

Conuersio eius ad Christu[m]. Cap. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

omne deponeret, & cum inimicis in gratiam planè bona rediret fide. Neq; verò eidem in magnis arduisque negotijs vel capeffendis alacritas, vel gerendis confilium & cautio deerat. quocirca inter quosdam Cantabriæ populos graui orta feditione, legatus ad eos à duce Naiaræ, breui controuerfias omnes magno partis vtriusque confensu & approbatione diremit: ac licèt iuuenis admodum effet ætate, in agendo tamen, tractandisque hominum ingenijs iam tum fenilis quædam in eo maturitas apparebat; prorfus, vt negotiũ nullum ferme fufceperit, quod nõ ad optatum exitum fua lenitate ac virtute perduxerit. quamquam ob imperitiam rerum diuinarum hæc tam egregia animi bona, & quafi talenta non optimè collocabat interdum: ad hominum videlicet gratiam, ac fui ipfius incrementa ijs artibus vtens, quas ad vnius Dei honorem & gloriam omnino referri oportuerat.

*Conuerfio eius ad Chriflum.*

*Cap. II.*

HVNC maximè in modum adolef-

A 3 cen-

centia , atque ipso ætatis flore consumpto, cum annum ageret iam nonū circiter & vigesimum , à miserabili errore, certoque æternæ vitæ periculo in rectum salutis iter summo Dei beneficio reuocatus est. Tota autem eius conuersionis ratio fuit eiusmodi. Ardebat eo tempore Hispania intestini belli tumultibus ; quam nactus occasionem Franciscus Galliaæ Rex , Nauarra Vascorum, quæ Guipuzcoam attingit, Hærico Alibreto cognato suo recuperanda , cuius pater ex eo regno Ferdinandi Catholici armis olim exactus fuerat ; Andream Foxium, cognomento Asparotum, cum exercitu iussit in eas regiones impetum facere. qui celeritate vsus , cum aliquot loca improviso aduentu cepisset; cumq; nobilitas Henrici cupida ad Gallum sese quotidie adiungeret; Naiara dux, qui Nauarra summo cum imperio præerat, eius rei fama commotus, in vltiorem Hispaniam ad auxilia contrahenda profectus est, Ignatio, paucisque præterea Pompelone custodia causa relictis. Ac cæteri quidem appropinquante Gallorum exercitu,

citu, magnitudine pedestriū & eque-  
 strium copiarum exterriti, & simul  
 diffisi oppidanorum animis, tempori  
 cedere, & urbem relinquere omnino  
 decreuerant: Ignatius verò multis ver-  
 bis homines ab eo consilio reuocare  
 conatus, vbi se nihil proficere hor-  
 tando perspexit, ardentibus oculis  
 detestatus ignauiam perfidiamque,  
 spectantibus omnibus in arcem solus  
 introijt, paratus illam cum aliquot  
 in eo præsidio relictis omni ope tue-  
 ri. quo virtutis exemplo permotus  
 alius quidam Ignatij in studio bellicæ  
 laudis æmulus, eandem aleam subiit:  
 reliquis vero salus, quàm aut fides aut  
 gloria fuit antiquior. Ventum deinde  
 in consilium est à custodibus de sum-  
 ma rei: cumq; in tanta propugnatorū  
 paucitate cōtra tantas hostium copias  
 negarēt pleriq; locū obtineri possediū  
 tius, ac seniorū præsertim sententiæ ad  
 profectiōē inclinarent; Ignatius, quo  
 erat animi & corporis robore, q̄ acer-  
 rime sese rursus opposuit, remq; disie-  
 cit. Interea Galli, resistente nemine, p-  
 pius ad urbē accedunt, & magna ciuiū

## 8      I G N A T I I   V I T A E

voluntate admissi, castris ad arcem po-  
fitis, praefectum praesidij ad colloquiū  
euocant. Ille accepta fide, cum tribus  
dūtaxat egreditur, in quibus erat Igna-  
tius; qui cum ab hostibus proponi con-  
ditiones iniquiores vidisset, exarsit ni-  
mium, easque conditiones tam acri-  
ac vehementi oratione commilitoni-  
bus dissuasit, vt ad extrema omnia per-  
petienda potius, quàm arcem deserend-  
dam cunctos accenderit. Nec mora:  
Galli omisso colloquio acrius instare,  
tormentis moenia quaterere atq; dirue-  
re; vndique ascensum tentare. Hispani  
contra, Ignatij praesertim exemplo at-  
que adhortationibus incitati, fortiter  
se defendere, subeuitem hostem gla-  
dijs, telis, contis arcere; quoad Ignatio  
ante alios dimicanti, globi vi excussus  
è muro lapis, laeuam haud ita grauiter  
laesit tibiam; globus vero ipse quam-  
quam impetu refracto subsiliens, dex-  
tram adeo labefactauit atque confre-  
git, vt è vestigio semianimis alienata  
mente corruerit. Tum vero debilitati  
animis caeteri, & deditio facta. Ignatiū  
porrò stratum, vel ad colligendam cle-  
mentiae

mentiaē famam, vel etiam virtutem in  
hoste admirati Galli benignè suscipi-  
unt, & in urbem ex arce translatum, in  
pristino hospitio collocant, medicisq;  
adhibitis, & rebus omnibus necessarijs  
diligenter curant. Huic Gallorum be-  
nignitati, pro sua animi magnitudine  
egregiè respondit Ignatius. quippe tan-  
tum aberat, vt eos odisset, à quibus in  
illam calamitatē, viteq;ue discrimen  
erat adductus, vt cum in lecto decum-  
beret, singulos blandè comiterque cō-  
pellans, omnia fere sua in eos, amoris  
causa diuiserit; atque hunc clypeo, illū  
pugione, alium thorace donarit. In-  
teriectis deinde aliquot diebus, cū gra-  
uius laboraret, quàm vt breui tempo-  
re sanari posse videretur; ad ceterā hu-  
manitatem illud etiam additum à Gal-  
lis, vt Ignatium lectica Loiolam vsq;  
(neque enim longè aberat) deportan-  
dum curarent: qui peramanter à suis  
acceptus, cum ingrauescente indies  
morbo periculosius ægrotaret, accer-  
siti confestim vndiq;ue medici, crure  
inspecto, seuerè pronuntiant, ossa illa,  
siue id prioris chirurgi vitio, siue itine-

ris agitatione contigerit, nequaquam esse benè locata: neq; verò, nisi ea coagmentatione denuo resoluta, frustisq; suo loco repositis, posse vllò modo fieri vt coalescant. Qua tã acerba denuntiatiõe Ignatius minime exterritus, nõ modò statim æquo animo sese paratũ ostēdit ad omnia subeunda, sed etiam inter ipsam curationem, quamuis esset asperrima, nullum aliud indicium dedit doloris, nisi vt coactos in pugnum digitos valde constringeret. Ex eo die morbus maiorem in modum est auctus; cumq; iam Ignatius omnes fere cibos haustusq; stomacho fastidiente respueret, aliaq; in eo cernerentur letalia signa, suorum admonitu, sacris, quæ ad expiandum animũ pertinent, ritè procuratis, ipso B. Petri Apostoli peruigilio, cunctis mœretibus, eò deductus est, vt medici prorsus actum affirmarent, nisi ante mediam eam noctem vis morbi remitteret. Venerabatur iam dudum Ignatius præcipuo quodam cultu principem Apostolorum: quin etiam eius laudes militariter olim carmine Hispanico celebra

bra

brauerat: cuius profecto pietatis fructū non exiguum tulit. siquidem illa ipsa decretoria nocte per quietem videre sibi visus est eundem Apostolum, optatam sibi valetudinem diuinitus afferentem. nec sanè in irritum ea visio recidit: quippe continuo leuari doloribus, ciboque refici est coeptus. Iamque Dei beneficio periculum mortis euaserat, magnaque suorum gratulatione melius habebat in dies: cum repente animaduertit os quoddam genu sub ipso foedius prominere: quod quoniam praeter caetera incommoda impedimento etiam sibi videbat fore, quominus graphicè quam soleret ac vellet, ocreatus incederet; ut erat idem & patientiæ militari, & vrbanae mūditiæ, & elegantiae apprime deditus, percontatus est medicos, possēt ne vlllo pacto deformitas tolli, qui cum respōdissent posse utiq;, sed dolore omnium, quos ad eam diem sensisset, maximo & acerbissimo; propterea quòd in eam sedem fragmenta iam firmiter coaluerant: non dubitauit Ignatius ingenti omnium vel admiratione, vel metu,

co cin-



concinnum ac decorum corporis habitum anteferre manifesto vitæ discrimini, secarique de sententia medicorum os iussit, clariore etiam, quàm antea, fortitudinis ac patientiæ documēto : quandoquidem in ea carnificina (quæ quo lentior, eò fuit horribilior) non modò ligari tenerive se non est passus, verum etiam ijs qui aderant, pavore propemodum ex sanguibus, ab omni prorsus querimonia gemituque ipse continuit. Post hæc doloribus magna iam ex parte mitigatis, nõdum tamen gressu recuperato, nec pedibus ad insistendum idoneis, intereà dum iacentis corpus terrestres medici perficere conantur, eiusdem animi vulnera curare medicus cœlestis aggreditur. Cùm enim affixus lectulo Ignatius fallendi temporis causa prophanum quæpiam librum poposcisset ex ijs, quos antea per otium lectitare cõsueverat; diuino planè consilio factum est, nullus vt eo tempore domi liber esset eiusmodi : at verò longè meliores alij duo reperti sunt, Hispanico sermone conscripti; quorū alterius, Vita Christi.

sti, alterius (quo selecta virtutum exē-  
pla continebantur) Sanctorum flores,  
erat inscriptio. Ea videlicet lectio salu-  
tis initium attulit homini. Dum enim  
oblato sibi libro, varijs locis quasi a-  
liud agens delibat, sensim capi coeptus  
est pulchritudine eorum, quæ scripta  
reperiebat; atque adeò inter ipsam le-  
ctionem vbi quidpiam insigne cogno-  
nerat, subsistere, secum ipse deliberans:  
Quid si præclarum hoc sancti Domi-  
nici facinus, quid si hoc sancti Franci-  
sci Deo fretus aggrediar? Neque verò,  
cum hæc & alia sibi multa propone-  
ret, res occurrebat vlla tam ardua, tãq;  
difficilis, quàm non perficere sese pos-  
se generosa quadam alacritate confi-  
deret. Quæ cum apud se diutius agita-  
set, emergebant rursus rerum inanium  
voluntates, & sæcularia desideria, quo-  
rum sese nonnullis adeo manciparat,  
vt dum eorum vel adipiscendi ratio-  
nem exquirat, vel potiundi spem ani-  
mo concipit, plures interim horas per  
imprudentiã in ea cogitatione defixus  
hæreret. Iamque priora illa propemo-  
dum exciderant, accensosque nuper  
igni-

igniculos pietatis, voluptatum illecebræ, & pernicioſa rerum fluxarum blādimēta reſtinxerant; cū periclitanti ſeruulo diuina bonitas opem celeriter afferebat, ex eorum videlicet recordatione quæ legerat, meliorem ei mentem, & conſilia ſaniora ſubmittens. atque in hac item commentatione tam diu morabatur, donec interuentu cuiuſpiam, alio mentem animumque cōuerteret. Hac ille viciffitudine, & quaſi conſictu dies aliquot mirum in modum exagitatus, cum in eius pectore voluptas & virtus pœne ex æquo certarent; contrarias in partes magna ſua perturbatione diſtrahebatur, incertus animi, hancine viam, an illam, cum primum poſſet, inſiſteret. Verumtamē inter alternas fluctuantis animi propēſiones illud intererat, quōd blandis illis rerum fluxarum imaginibus, quam diu præſentes obueraſabantur, tam diu titillabatur Ignatij mens: abeuntibus verò, ſuccedebat illico amarus quidā torpor, & ægritudo, & ſibimet diſplacentis animi tædium. At contrā, præclari illi ad Chriſtianam laudem impetus,

tus, cogitationesque de adæquanda vigilantia & sobrietate Sanctorum, de votiuis peregrinationib⁹, de victu cultuque in primis horrido & aspero; nō modo cum aderant, animum insolita quadam iucunditate mulcebant, sed in recessū quoq; tristitia subeunte nulla, securum hilaremque præstabāt. Sed enim tantum hoc ille discrimen, sæculi tenebris occæcatus adhuc, hebesq; ad subtiliora hominis interni iudicia, quasi ignotum quidpiam præteribat, quoad clariore demum oborta sibi luce, mentis aciem accuratius in eam varietatem cœpit intendere; ac denique non sine admiratione quadã animaduertit, ab illis cogitationibus, vt erant inanes ipsæ, sic se ieiunum & aridum; ab his autem velut à pabulo salutari, latum vegetumque discedere: liquidoque perspexit, fucata et insidiosa voluptas quantū à vero & solido gaudio ac suauitate distaret. Atque hanc primam de intimis animi sensibus motibusq; ratiocinationem habuisse fertur Ignatius: ad quam vbi maior deinde rerum diuinarum vsus accessit,

tan-

tantam in spirituum discretionem (que consummata sapientiae virtus est) solertiam atque peritiam est consecutus, ut egregia etiam illius generis praecpta in eo libro, qui Exercitiorum appellatur, posteritati reliquerit. His ergo obseruationibus, & assiduus librorum monitis è lethali animae veterno excitatus, antea actae vitae peccata, & infinita in se Dei clementiam aliquando cepit agnoscere; nec solum de mutandis in posterum moribus, verum etiam de expiandis omni ratione delictis, placandoque numine, serio cogitare. Atque in hanc deliberationem ingressus, denuo sese ad Christi domini, Sanctorumque sectanda vestigia occulto quodam instinctu acriter sentiebat impelli, & eorum praecipue, qui in se ipsi quam maximè duri ac seueri exstitissent. artium quippe spiritualium, & Christianae Philosophiae rudis & ignarus adhuc, omnem ferè sanctitatis & officij perfectionem in asperitate vitae, & in voluntaria corporis afflictatione statuerat. quocirca iam tum agitabat animo, simul atque per valetudinem liceret, nudis

dis pedibus Hierosolymam petere, ac frequenti verberatione, longoque ieiunio tantas peccatorum pœnas vltro suscipere, quantas videlicet ab excelfo magnoque animo, salutare odium sui & ardens diuinæ gratiæ promerendæ studium exigebat. Iamque rectis euntē sensibus, & optima quæque expetentem, longè vehementius incitauit diuina visio. Etenim nocte quadam vigilantia, augustissima specie, ac beatissimo lumine fulgens M A R I A virgo, vna cum paruulo I E S V, non modò sese palàm ostendit, verum etiam incredibili benignitate spectandam aliquamdiu præbuit: quo viso mirificè recreatus Ignatius, tantum repente odium fastidiumque concepit eorum, quæ apud cæcos mortales prima putantur, ac præsertim quæ cum inhonesta voluptate coniuncta sunt, vt omnes rerum illarum, quamuis diuturno vsu ac vetustate corroboratas imagines, ex hominis memoriâ confestim aspectus ille deterferit. Accessit ad hæc illud quoque; nō leue Dei beneficium, quod ei in omnem deinde vitam proprium

B ac

ac stabile mansit: vt quotiescumq; sublatis in cœlum oculis astra suspiceret (quod sanè sæpè faciebat, ac diu) mortalia cuncta illi repente sordescerent; & miro quodam æternę patrię desiderio raperetur.

*Ad Mõtem Serratum religionis causa proficiscitur. Cap. III.*

**I**Nterea simul & animo & corpore cõualescens, è lectulo surgere, & intra cubiculi fines paulatim crurã explicare, atque ingredi cœperat; nihilq; longius ei videbatur, quàm vt de cognatione sua, & de domo patris exire, & præteritæ vitę peccata quàm acerrime vindicare sibi liceret. Sed quia nondum erat ad iter faciendum idoneus, constituit interim præclarissimas quasque Christi Domini, Sanctorumq; res gestas memorię causa describere: atque ad id ipsum exquisiti cuiusdam nitore & elegantię codice comparato, quę de virtutum exemplis præcipuè admirabatur, in eum codicem vario picturæ genere quàm cõpositissimis & quã clarissimis litteris ordine referebat.

At.